



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CLII. Argumentum. Inquiritur, Quæ, & Quot sint malæ cogitationes cordis? Quanta earum malitia? Quibus remediis repellendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Nonum: Sancti Protectores nostri, videntes has Ecclesiarum irreverentias, cessant orare pro nobis. Tu ergo noli orare pro populo hoc, non obstitas mihi. Jer. 7. 16.

29 Decimum: Ab Ecclesiarum contemptu veniunt bella, & urbium subversiones. Posuerunt offendicula sua in Domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam: ideo, ecce dies venit, dicit Dominus, & quiescere faciam de Urbibus Juda, & de plateis Jerusalem vocem gaudii: in desolationem enim erit terra. Jerem. 70. 30.

30 Undecimum: Et jure quidem aggravatur manus Dei super profanatores Ecclesiarum; quia si servus servum offendat, corripitur ab aliquo jussu Domini. At si servus offendat Sponsam Domini, ausus peccare in illam, ab ipsomet Domino occiditur. At quis ignorat, Ecclesiam esse sponsam Christi? Sponsaque ritu cingeris, mille Angelorum millibus. Hymn. in Dedic. Eccles.

31 Duodecimum: Ideo inculcandum, & insinuandum plebibus, non esse levia peccata, quæ in Ecclesiis committuntur, sed gravia; sapiunt enim speciem Sacrilegii. Nihil ad Deum pertinens leve est: & quod culpa exiguum videtur, grande hoc facit Divinitatis injuria. Salvian. de Prov. lib. 1. c. 2.

32 Decimumtertium: Quod Hebræi ob reverentiam montis Horeb, in quo semel Deus locutus fuerat Moyse, non permittebant, oves suas pascentes illi appropinquare. Segneri in Christ. instruct. par. 3. serm. 4. nu. 19. Et eo minus debent Christiani dare pascua sensibus suis in Ecclesia, in qua præsens est idem Deus. Terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Psal. 88. 8.

33 Decimumquartum: Quod animalia ipsa irrationabilia sæpe sæpius venerata sunt loca sacra, & ipsum Deum; ut de duobus juvenis, oblati imagini S. Dominici Soriani, genuflexi in Ecclesia, refert Sylv. Frangipani in Hist. Sorian. Imagin. c. 27. Cui addatur mula hæretici esurienti, quæ tempore Thaumaturgi Nostri Sancti Antonii, relicto cibo, genuflexa Sacram Synaxim adoravit.

34 Decimumquintum: Quod fuit punitus, qui ad cœnam Regis intravit Non habens vestem nuptialem, Matth. 21. 11. Sed filius prodigus ubi misericordiam invenit, etiam graviter peccaverit, quia non in domo Patris, idest in Ecclesia, sed abiit in regionem longinquam. Luc. 15. 13.

35 Decimumsextum: Quod Theodosius Junior Imperator ingressurus Ecclesiam, non solum deponebat arma, sed etiam coronam ob reverentiam loci sacri. Segner. dist. serm. 4. nu. 10.

36 Decimumseptimum: Non esse suffragaturam hisce profanatoribus assertam inadvertentiam, vel ignorantiam, quia cum incessanter Pastores animarum prædicaverint, & docuerint, quod Terribilis est locus iste; hic Domus est, & Porta Cæli, per Sacrificia, & Sacramenta, non poterit populus in puncto mortis, quasi Jacob excitatus a somno dicere: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Genes. 28. 16.

37 Decimumoctavum: Referantur exempla elementorum, Principum, & aliorum, qui obsequi Ecclesiis, ac Templis sacris, mercedem à Domino reportarunt: & e contra punitiones eorum, qui in Ecclesiis irreligiosi fuerunt: quæ habentur in Sylva Historie. Matthæoli p. 1. lib. 3. cap. 1. tit. 23, tit. 24. & tit. 25. ubi abundanter.

Ultimum: Omni conatu Parochi fervare faciant Præcepta Eminentiissimi Præfatis, jubentis mulieres in Ecclesiis separari per telas strangulas ab hominibus, quod etiam statutum fuit in Constitut. lib. 2. cap. 61. & quod mulieres non nisi velato capite Ecclesiam ingrediantur cap. Penult. 35. quæst. 5. Barbosa de Jur. Ecclesiast. Univers. l. 2. c. 3. n. 32.

DECISIO CLII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, Quæ, & Quot sint malæ cogitationes cordis? Quanta earum malitia? Quibus remediis repellendæ?

SUMMARIUM.

1. Appetitus Rationis, & Sensitivus, ac Phantasia quid sit?
2. Motus appetitus sensitivi quot sint?
3. Motus primo primi, & secundo primi an sint peccata?
4. Motus involuntarius, ac imperfectè, & perfectè voluntarius.
5. Consensus Voluntatis vel expressus, vel Virtualis, vel Negativus, & quando sit mortalis, vel venialis?
6. Desiderium, & Delectatio an sint idem?
7. Morosa delectatio quid sit?
8. Morosa delectatio circa divitias, an sit peccatum?
9. Desideria peccaminosa in hominibus diversa conditionis.
10. Cordis, seu cogitationis peccata quanam sint.
11. Ecclesia non judicat de occultis.
12. Hebræi non admittebant, cogitationes turpes esse peccata.
13. Cordis peccata cavenda, ac cogitationes turpes.
14. Seminationis, & Plantationis differentia.
15. Cogitationes turpes timende, & expellende.
16. Diabolus tentat vehementissime in extremis.
17. Concubinarius confessus, Sacramentis munitus, in puncto mortis desiderio concubina damnatus.
18. Aqua quod impurius, facilius ebullit.
19. Cogitationum turpium remedia.
20. Febris quando reputetur lethalis?
21. Cogitationibus turpibus satis an sit non consentire?
22. Cogitationes cordis turpes confitenda.
23. Cogitationes turpes in somnis repellendæ. Exempla.
24. S. Catharina Senensis tentata turpibus cogitationibus.
25. Item Eminent. Cardin. Baronius in senectute.
26. Castitas à castigando.
27. Mulierum conversatio fugienda.
28. Jacobi Eremitæ lapsus horrendus in carnalitate.
29. Sori Eremitæ rigorosa penitentia ob aspectum mulieris.
30. Pictura inhonesta nec videnda, nec habenda.
31. DEIPARAM habeant in Patronam, qui turpibus cogitationibus agitantur.

Pro intelligentia hujus casus, & eorum, quæ dici possunt, atque sciri debent à Parochis, & aliis Confessariis circa peccata cordis, & turpes cogitationes, præmiserunt.
Primo: Secundum Philosophos in libris de Anima, dari in homine Appetitum rationis, & quo

quo procedunt operationes intellectus, & voluntatis; item Phantasia, in qua insunt potentia imaginativa; ac tandem Appetitus sensitivum; qui duas habet principales partes, Concupiscibilem scilicet, & Irascibilem; a quarum prima prodeunt desideria carnis, bonorum temporalium, atque honorum; ab altera vero odia, & motus vindictæ. *Mastrius in Theol. Moral. disp. 11. n. 185.*

2. *Secundo*: Motus appetitus sensitivi, tam in concupiscibili, quam in irascibili, alios esse primo primos; alios secundo primos. Primi generis, & primo primi dicuntur illi, qui repente conflurgunt, & omnem rationis considerationem præveniunt; ita ut nulla sit apprehensio, vel suspicio malitiæ, & hi non sunt peccata, quia non sunt in nostra potestate; nec sunt voliti in se ipsis, neque in causa: non est autem peccatum, nisi voluntarium directe, vel saltem indirecte, id est, vel in se, vel in causa; & hoc intelligendum est non solum de primis motibus sensualitatis, sed etiam intellectus, & voluntatis: ut accidit, quando aliquis subito suspicatur malum de proximo, vel quid venit in ejus mente contra fidem. Motus secundi generis, seu secundo primi dicuntur illi, qui succedunt motibus primo primis, & in eis intrant aliqua operationes appetitus rationalis, id est advertentia intellectus, & inclinatio voluntatis, & ex his desumitur gravitas peccati; quoniam, si nulla est advertentia intellectus, nullus quoque est consensus voluntatis, quæ nunquam fertur in incognitum. Si vero est aliqua advertentia, sed imperfecta intellectus, adesse quoque poterit aliquis consensus imperfectus voluntatis faciens peccatum veniale; quod si plena sit intellectus advertentia, & cum ea plenus voluntatis motus, seu consensus, erit peccatum mortale, in re tamen gravi, vel re, quam non excuset materia levis. *Becanus part. 2. tractat. 2. cap. 5. quæst. 5. Mastrius Theolog. Moral. quæst. 11. numer. 148. & latius num. 186. ubi idem explicat sub aliis terminis; id est Involuntarium, ex quo nullum peccatum; Imperfecte voluntarium; ex quo peccatum veniale; & perfecte voluntarium, quod est peccatum mortale; qui quidem tres motus, seu termini vocantur à Theologis suggestio, delectatio, & consensus. Ex suggestione nullum nascitur peccatum: ex delectatione peccatum veniale: at ex consensu mortale. S. Bonavent. 2. disput. 24. part. 2. art. 3. quæst. 1. & 2.*

4. *Tertio*: Consensum Voluntatis triplicem esse posse, Expressum, Virtutem, & Negativum. Ille dicitur consensus Expressus, qui etiam dicitur Directus, quando voluntas expresse, & directe tendit in objectum sensualitatis, volendo, & approbando illud idem, quod appetitus sensitivus appetit, prævia plena intellectus advertentia; & in hoc casu est peccatum mortale, nisi talis sit materia, quæ ob parvitatem excuset. Consensus Virtualis, qui etiam indirectus, seu interpretativus appellatur, est, quando voluntarie fit aliquid, quod est causa motus sensualis; ut curiose legere, jocose loqui, immoderate aspicere; & in hoc casu si ipsa causa sit mortalis, etiam motus sensualitatis ex ea provenientes erunt peccata mortalia: quod si ipsa causa sit venialis; & motus sensuales non sint plenè voliti, erunt veniales. Consensus Negativus est, quando voluntas sentiens motus sensualitatis negative se habet, illos non impediendo, & non reprimendo, sed neque eos volendo. *Mastrius d. disp. 11. num. 187. Et in hoc casu speculative lo-*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

quando, & in rigore Metaphysico nullum est peccatum; quia cum hi motus sensualitatis proveniant à natura, non est credendum de Divina Bonitate, salutem æternam hominis exposuisse his periculis; cumque ipsi motus cadant sub præcepto negativo *Non concupisces*, satis est non consentire in illos. Summa Diana Verb. Delectatio Morosa. num. 2. Jo. Sancius in Select. disput. 21. n. 3. Gobat tract. 7. numer. 329. Castropal. rom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 10. §. 5. num. 3. & Tamburin. in Decalog. lib. 10. cap. 2. Nihilominus in sensu pratico dicendum est; saltem ad majorem cautelam, non sufficere consensum negativum, præcipue in motibus sensualitatis, ob nimiam carnis fragilitatem, sed illis esse resistendum positive; vel se Deo commendando, vel cogitationem in objectum bonum dirigendo, vel protestando, se nunquam consensurum turpi illi suggestioni. Ratio hujus opinionis est, quia in Præcepto negativo *Non concupisces*, quod obligat semper, & ad semper, inest affirmativum, resiste turpi cogitationi, quando scilicet advenit; ita ex S. Thom. 3. par. qu. 74. art. 6. Bonacina de Matrim. q. 4. punct. 7. ubi Lessius, Reginald. Sanch. Filiuc. & alii, quibus adheret Mastrius d. disp. 11. n. 189. & declarant mea Erotemata cap. 1. qu. 6. & dictum fuit in his Decisionibus Miscellaneis Dec. 1. n. 7.

Quarto: Aliud esse Desiderium rei turpis, aliud Delectationem ob rem turpem: Desiderium est voluntas, intentio, vel propositum efficax rei malæ, & illicitæ, cum intentione deveniendi, si posset, ad illius executionem; & hoc semper est peccatum mortale; juxta illud Matth. 5. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo: desiderando scilicet copulam carnalem cum illa actualiter, & cum effectu, quantum est in ipso, qui mulierem concupiscit. Delectatio vero est simplex amor, vel complacentia objecti cogitati, absque desiderio executionis; & dicitur Delectatio morosa, non à mora temporis, quo durat hæc cogitatio, sed à mora rationis, eo quod homo, positiva advertentia malitiæ actus, adhuc delectationem admittit, & in ea advertenter immoratur, & quodammodo requiescit in ea, & quamvis aliqui Moralista conentur probare, hanc non esse peccatum mortale, ea ratione, quia omnino hæc delectatio morosa præscinditur ab opere exequendo; nihilominus certa, & probabilior sententia est eam censeri peccatum mortale ex doctrina S. Augustini lib. 12. de Trinit. cap. 2. S. Thomæ 3. par. quæst. 74. art. 8. ad 4. Abelly in 6. Dec. præf. §. 1. & Mastrius d. disput. 11. num. 192. Itaut vix excusentur conjuges cogitantes in absentia de eorum carnali copula, absque periculo pollutionis, quia delectatio in ipsis est de re licita. Diana par. 9. tract. 8. resol. 44. sedens in Coordinato tom. 2. tract. 6. resol. 196. & Gobat tract. 10. numer. 653. At in aliis personis quibuscunque non solum morose delectari in rebus venereis est peccatum mortale, quia vix esse potest, ut in actu delectationis volite non subrepar voluntas executionis; sed ulterius, qui fuit morose delectatus, tenetur in confessione exprimere statum suum, si sit conjugatus, vel Religiosus, ac etiam statum personæ, ad quam cogitabat in delectatione morosa, videlicet, si erat conjugata, Virgo, affinis, seu Monialis. Bonacina de Matrim. quæst. 4. punct. 8. & ibi Navarr. S. Antoninus, Lessius, Tabiena & alii. Mastrius d. disp. 11. nu. 193. & Tamburin. de Expectat. Confession. lib. 2.

lib. 2. cap. 7. §. 1. Vide mea Erotemata cap. 108. ubi plenè de Delectatione morosa.

8 Tandem præmiserunt, Delectationem morosam, ac peccaminosam non solum accidere in rebus veneris, sed etiam in immoderato desiderio divitiarum: ideo mortaliter peccant, qui ad hunc effectum ludis immoderate abutuntur; mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt; atque ægre ferunt, ut alii præter ipsos sint, qui vendant, aut emant, quò carius vendere, aut vilius emere ipsi possunt. Item peccant, qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipsi lucentur. Item milites qui expetunt bella, ut furari possint. Medici, qui morbos desiderant. Jureconsulti, qui lites flagitant. Artifices, qui inopiam rerum expetunt. Ac demum illi, qui ex odio delectantur vel malo ex vindicta inferendo, vel adversitatibus, quas patitur suus adversarius, ut advertit Maffrius in cit. disput. 11. num. 196. Et advertere debent Confessarii audientes prædictarum personarum Confessiones, quas aliquando interrogare oportet de peccatis cordis antedictis.

10 His ita constitutis, pro resolutione propositi casus Prudentialis, dixerunt, malas cordis humani cogitationes eas omnes esse, quæ adversantur Præceptis Divinæ Legis juxta Evangelicam monitionem Matth. 15. 19. De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furti, falsa testimonia, blasphemia. Hæc sunt, quæ coinquant hominem. Unde notarunt, quòd sola lex Divina punit malas cogitationes cordis, non etiam Lex civilis, vel humana, quæ tantummodò castigat opera mala exteriora, non autem cogitatus malos internos; & ratio est, quia Deus intuetur corda hominum juxta illud: Oculi Domini lucidiores sunt super solem, hominum corda intrinsece in absconditis partes. Eccl. 23. 28. Sed Principes, & Magistratus non vident, neque judicant nisi opera exteriora: Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor. 1. Reg. 16. 7. Et Spirituum ponderator est Dominus. Proverb. 16. 2. Unde dici solet, quòd Ecclesia non judicat de occultis. c. Erubescant dist. 32. Et ideo cogitationes cordis non esse comprehensas in legibus humanis, cognoscitur ex eo, quòd leges humanæ nullam statuunt penam contra cogitationes malas. S. Thomas 1. 2. qu. 100. art. 9. in c. ubi dicit: Illud proprie cadit sub Præcepto legis, pro quo pena legis infligitur. Et quamvis malæ cogitationes sint prohibita per Decalogi ultima duo Præcepta; Hebraeus populus parum advertebat ad illas; imò multi ex Judæis arbitrabantur, non dari peccatum, nisi in opere exteriori, & completo. Joseph. Flavius lib. 12. Antiquit. Abulensis tract. 2. in Matth. fol. 337. forsan quia pro interioribus actibus certa Sacrificia non injungebantur in Lege. S. Thomas 2. 2. qu. 54. art. 3. ad 3. Quapropter & dicebant & docebant: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Matth. 5. 43. Quos correxit Unigenitus Dei Filius, qui est Sapientia Patris, cum venisset in mundum, prædicans illis: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Joan. 44. Et, Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mechatus est eam in corde suo. Matth. 5. 28. Quod etiam per Prophetam fuerat antea intimatum: Laya à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva sis.

11

Utsuequo morabuntur in te cogitationes noxia? Jer. 4. 14. Et advertit Julius Maurocenus olim Rabbinus, mox Neuphytus, eruditi sui operis p. 2. c. 69. pag. 150.

Quantam autem sit earundem cordis cogitationum malarum malitia, testatur Conc. Trid. sess. 14. c. 5. dicens: Nonnunquam, Peccata cordis, Animam gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ manifestè admittuntur. Et equidem duplici respectu: Primò quia frequentiora, & magis multiplicia sunt cordis peccata, quam externa, opere completa; sicut magis multiplicia erunt furti, quæ committentur, si portæ domorum relinquuntur apertæ, quam si per fenestras cogantur fures ascendere. Numquid aperta tibi sunt porta mortis? ait Job. 38. 17. Porta mortis sunt cogitationes pravae, notat ibidem S. Gregorius: sensus autem nostri exteriores vocantur fenestrae. Mors per fenestras nostras ingressa est domus nostras. Hier. 9. 21. Igitur peccata operis pauciora, & difficiliora, sicut furti per fenestras, quæ requirunt scalas, & auxiliares. Peccata cordis frequentiora, & majoris numeri, sicut furti patrata, ubi repertæ sunt domus apertæ. Simile de frugibus camporum, quæ copiosiores sunt ex seminatione plantarum, quam ex arborum plantatione; hæc enim est laboriosa, & difficilis, ideoque rara; sed illa facilis, frequens, & ubertosa. Diabolus ditatur non per plantationem actualium culparum, à quibus plurimi abstinent vel ob impotentiam, vel ob verecundiam; sed utique ob seminationem malarum cogitationum in cordibus hominum. Inimicus homo superseminavit zizania, & abiit. Matth. 13. 25.

Secundo sunt periculosiora peccata cordis, quam sint peccata operis, quia homines parum curant de cogitationibus malis, & difficillimè emendantur; tanquam servi soliti vapulare, qui pro nihilo habent vapulationes. Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me; & ego non sensi. Prov. 22. 35. Et ideo quamvis corripiantur, rident, irident, non curant emendari. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Psal. 80. 11. Et adveniente morte sunt in probabili periculo damnationis. Ratio est evidens. Vel enim mors ex improvviso adveniet, & moriuntur sine confessione damnati. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Eccl. 11. 3. Vel dies transitus ad aliam vitam prævenietur ab infirmitate, & longo agone; & absque dubio tentabuntur vehementissimè à Diabolo in extremis, tanquam leo rugiens, quarens ut illos devoret. 1. Petr. 5. 8. sicut Pharaon crudeliùs persecutus fuit populum Hebraeorum, quando exibat de regno ejus; & tentatio non erit super operibus peccaminosis; sed super cogitationibus pravis, & immundis; sufficit enim præstare assensum ipsarum uni, & animam perdere, juxta axioma commune: Qui peccat in uno, factus est omnium reus. Non desunt horrenda exempla.

P. Joan. Dominic. Ottonellus Soc. Jesu in suo opere de Christiana Charitate cap. 29. exempl. 5. narrat virum nobilem solitum habere concubinam; cum ex infirmitate ad extremum vitæ pervenisset, confessus est, ac communicatus, Oleo

17 Oleo sacro inunctus, à Sacerdote adjutus, obiit, sed post mortem revelatum est eidem Sacerdoti, in infernum esse damnatum, quia non restitit Diabolica suggestioni circa Concubinam, cujus in corde, si sanaretur, amplexus desideravit. Consimilem casum ex Vega cap. rarior par. 2. cap. 2. refert Segneri in *Christ. instr. par. 1. serm. 31. num. 16.* Nec mirum, quia qui solitus est in sanitate turpibus cogitationibus delectari, quomodo in agonia negabit iisdem assensum? Si sanus ad levem ictum cadit, quomodo stabit moribundus, frequentibus, ac potentibus ictibus, & aggressionibus percussus? Utique, *Abunt in adinventionibus suis, Psal. 80. 11.* Utique verificabitur in illis: *Et in peccato vestro moriemini, Joan. 8. 21.* Quò impurior est aqua, eò citius inflammatur, & ebullit; ut de luteis

18 aquis Nili refert Strabo lib. 15. *Geograph.* Hoc idem evenit hominibus, impura corda ex habitu habentibus, & morosis delectationibus, impurisque, ac carnalibus cogitationibus assensum præstantibus; hi enim vix tentati à Diabolo, in supremo vitæ spiritu, cadent in desiderium carnis, & subinde in infernum. Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *Eccles. 9. 11.* En igitur quanta est malitia pravæ cordis cogitationum, tum ex multiplici numero mortalium culparum, tum ex moralissimo periculo damnationis æternæ in extremo vitæ spiritu; in quo infelices peccatores à Diabolo capiuntur. *Venatione caperunt me quasi avem inimici mei gratis, Thren. 5. 52.*

19 Remedia, quibus per Parochos, Confessarios, ac Verbi Dei Præcones docendi, ac hortandi sunt peccatores ad repellendas cogitationes malas, & illas eliminandas à cordibus suis, erunt sequentia.

Primum. Timorem sanctum Dei habere; & sæpè recordari, quid sibi acciderit in puncto mortis; scriptum est enim: *Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis. Eccl. 7. 40.*

Secundum. Considerare periculum damnationis æternæ ob consuetudinem malarum cogitationum; & expavescere iudicium finale, fiendum statim, post exitum animæ de corpore; nam *Beatus homo, qui semper est pavidus. Prov. 28. 14.*

Tertium. Sibi persuasum iri, quòd salus æterna pendet à custodia cordis; & idcirco *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit. Proverb. 4. 23.*

Quartum. Malitiam malarum cogitationum, & morosarum delectationum in corde esse lethalis adinstar febris, quæ tota insidet in visceribus, de qua est Aphorismus ille: *Si exteriora frigent, & interiora calent cum siti, lethale.* Hippocrat. lib. 4. *Aphorism. 48.* Ideo omni diligentia cavendum à malis cogitationibus. *Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio. Deuteronom. 15. 9.*

Quintum. Proscribere, & abjurare opinionem illam, de qua supra, docentem satis esse, non consentire delectationi turpi; & profiteri, ac fideliter praticare sententiam contrariam, quæ docet, eas esse repellendas, mentem ad Deum elevando; & ejus adjutorium humiliter petendo; vel animum, & cogitatum in aliud objectum virtuosum dirigendo; vel expresse protestando, se nunquam assensum præbiturum; ad

exemplum Eleazari, qui proposita sibi Legis transgressionem. Respondit, citò præmitti se malle in Infernum. 2. *Machab. 6. 13.* quam consentire transgressionem.

Sextum. Si aliquando turpis aliqua cogitatio moram fecerit in corde; de ea humiliter confiteri, cum dolore, & proposito emendandi: *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias: usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? Hier. 4. 14.*

Septimum. Servare semper horrorem maximum adversus pravæ cogitationes, adeo ut etiam in somniis phantasmata inhonesta repellantur, ut fecit S. Franciscus Xaverius, cui ex violentia in resistendo fracta est vena in pectore. Segneri in *cita. serm. 21. num. 9.* ac S. Philippus Nerius aiebat, etiam nocturnas illusiones esse Confessario manifestandas. Baccius in *eius Vita lib. 2. cap. 13. num. 16.*

Octavum. Quòd si Deus in humilitatis exercitium permittat aliquando corda fidelium turpibus cogitationibus vexari, ut legitur de S. Catharina Senensi, in ejus vita scripta à P. Paulo Frigerio Presbytero Congregat. Oratorii Romæ lib. 1. cap. 16. num. 3. & de Cardinali Baronio in ejus senili ætate, Barnabeus in *eius Vita lib. 3. cap. 12.* præter lacrymosæ confessionis remedium, recurrere ad ferventem orationem; muscæ enim non stant super olla ebulliente; neque cogitationes pravæ in anima ardentius orante; ut de Sancto Christophoro à mulierculis in carcere tentato narrat ex Surio in *eius Vita, Sylva Histor. Matthæoli part. 2. lib. 9. cap. 2. tit. 8. exempl. 5.*

Nonum. Affligere corpus jejuniis, cilicio, ac poenitentia; castitas enim juxta S. Thomam dicitur à castigando; & ita fecisse Abbates 26 Moysen, & Ilidorum refert Matthæoli *ibid. exempl. 6.* Unde ipsemet Apostolus aiebat: *Castigo corpus meum. 1. Cor. 9. 27.*

Decimum. Fugere conversationem mulierum, & aspectum ipsarum; nam Speciem mulieris aliena multi admirati, reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit. *Eccles. 9. 11.* Et hic narrandum lacrymabile, vulgatumque exemplum Eremitæ Jacobi, qui consumptis annis quadraginta in poenitentia rigorosa, in ætate sexaginta annorum, adolescentulam, quam à Dæmone liberaverat, & secum remanere permiserat, stupravit, deinde occidit, ac in desperationem lapsus, relicto Eremo, ad omne flagitium committendum ibat, nisi ex Dei pietate ad poenitentiam revocatus esset. Ex Lipomano Matthæoli *ibidem exempl. 7.* Vice versa, Sanctus Sorus Eremita in Galliis, quia semel in juventute apixerat mulierem nudam, selavantem in flumine, adeo doluit, ut ad repellendas e corde suo turpes imaginationes, se occluserit in caverna, in qua annis quadraginta continuis permansit, negato sui conspectu etiam propriæ matri: cumque prope cavernam accederet quædam mulier, neque monita recederet, in eam conspuat S. Eremita, & spuito oculum percussus excæcavit: quæ domum reversa reperit, omnes de sua familia oculum perdidisse, filios, canem, selem, & gallinas, ut pie, ac luculenter scripsit ex Bollandò (Italico sermone) Hieronym. à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris tom. 2. Calend. Febr. pag. 25.*

Undecimum. Etiam ab inanitatibus imaginibus

ocu-

oculos avertere, & præcipuè à Piëturis obscenis, è quibus prodeunt turpes cogitationes in corde, juxta illud; *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job. 31. 1.* Referatur exemplum Piëtoris in Purgatorio existentis, qui vix evasit infernum, ob depictam inhonestam imaginem, de quo P. Menochius in *Oeconomico. l. 3. cap. 2. num. 4.*

31. Duodecimum: Veram, & constantem devotionem, ac fiduciam habere in DEIPARAM Clementissimam Dominam, ac Advocatam nostram; tum, ut puro corde in hac vita vivamus: Est enim ipsa Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, & flores ejus fructus honoris, & honestatis. *Eccl. 24. 23.* tum, ut in puncto mortis à tentationibus Diaboli liberemur, & æternam vitam consequamur; ut testatur Divus Bernardus *serm. 4. super Missus est.* ita dicens: Per te, ò Genetrix Beata, cælum repletum, infernis evacuatus est, instaurata ruina cœlestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perditæ data. Sic potentissima, & piissima Charitas, & affectu compatienti, & subveniendi abundat effectu, aequè locuples in utroque. Certum est enim, Deiparam non deferere in morte devotos suos; nam Qui EAM invenerit, inveniet vitam. *Prov. 8. 34.*

D E C I S I O CLIII.

A R G U M E N T U M.

Perquiruntur, & examinantur viginti quatuor peccata Patrum, ac Matrum familias occasione filiorum. Quibusvè rationibus suadendi sint ad bene educandos Filios.

S U M M A R I U M.

1. Conjuges cupientes filios non generari peccant.
2. Conjugum peccata in usu Matrimonii.
3. Abortus ex inadvertentia præquantum.
4. Infanticidia ex negligentia Matrum.
5. Infantes ex nimio lacte Matris suffocati.
6. Matres dantes filios lactandos alijs mulieribus an peccent?
7. Matrum nobilium lactantium suos filios exempla.
8. Matrum officium lactare filium.
9. Lactare filios etiam matres vilis conditionis reculant.
10. Matrum peccata filiolos importunos in Ecclesiam deferentes.
11. Parochitacentes, etsi filioli tempore Missæ sine obstrepentes.
12. Amor nimius genitorum in filiolos peccaminosus.
13. Marris prudentis dictum de filioli suis.
14. Genitorum culpa non docentium filios timorem Dei.
15. Fidei articuli explicandi per Parentes filiis.
16. Puerorum facinora à genitoribus laudata.
17. Maledicentes filios suos peccant.
18. Pueri Diabolum nominantis ad omnia, Exemplum.
19. Filiorum energumenum ob imprecationes parentum.
20. Fratres, & Sorores non permittendi simul dormire, & num. 57.
21. Salomon annorum 12. genuit filium Roboam.
22. Fratris, & Sororis Matrimonium.
23. Filii à genitoribus in proprio lecto non tenendi.
24. Puer decennis coit cum nutrice.
25. Parentum vitia scandalizant filios.

26. Homicidiorum quatuor causa malum exemplum Patris.

27. Puella non permittenda cum amatoribus loqui.

28. S. Antonini visio de Angelis, mox de Dæmonibus super domo trium adolescentularum.

29. Matrum peccata ornantium filias.

30. Ducentium illas ad Choreas, & amores.

31. Asperitas nimia genitorum in filios peccaminosa.

32. Divites filios ut relinquunt, peccant parentes.

33. Clericali vita filios indignos genitores applicantes peccant.

34. Parochi occisi à suo Capellano tragicus Casus.

35. Religionem filii, filiavè ob parentum vim ingredientes.

36. Moniales invitæ jugiter cum Jephre descentes.

37. Maritantes genitores filias quando peccent?

38. Matrimonium cur indissolubile?

39. Lacedæmones puniebant genitores filios delinquentibus.

40. Genitorum obligatio bene educandi filios.

41. S. Wenceslai educationis, ejusque fratris Boleslai differentia.

42. Genitores jus à Deo castigandi filios suos habent.

43. Mater dimidium filiorum.

44. Matrum sanctè educantium filios, exempla.

45. Pueritia tempore instruendi filii in bono.

46. Curulorum educationis discrimen.

47. Eclypses Solis mala, atque de mane pessime.

48. Filia desolata apud Hebræos cur ante domum paternam lapidaretur?

49. Filiorum vitia Parentibus deferenda.

50. Angelos cur Deus creavit in instanti; homines successivis temporibus?

51. Pater aequè, ac Mater, debet filios devotè educare.

52. Parochi negligentes docere doctrinam Christianam puniuntur ab Episcopo; qui & genitores excommunicare potest.

53. Diabolus exultans ex negligentia Parochorum.

54. Sale olim infantes aspersi.

55. Correctio Paterna suaviter facienda.

56. Exemplum bonum dent genitores filiis, & num. 58.

59. Indolentia Cæli, ac Terra ob filios malè educatos.

60. Oculi è capite adulterantium eruti. Et cur?

61. S. Antonius Abbas mulieri pulsanti noluit aperire.

62. Monstra cur nascantur in Africa?

63. Conversare cum feminis periculosum.

64. Stultitia, & Amor inseparabiles.

65. Turcæ, & Mahometani diligentissimi in custodia mulierum.

Dixere: Multifariam, multisque modis Conjuges peccare occasione prolium; præcipuè sequentibus ex causis.

Primo; Desiderantes non habere prolem ad effugiendum onus illam educandi; est enim contra unum ex finibus principalibus Matrimonii; undè ait Tertullian. *Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an disturber nascentem. Apolog. cap. 3.*

Secundo; In petitione, seu redditione debiti conjugalis talia exercentes, qualia pudicas aures dedecent Confessoriorum, præsertim accedentes præpostere; si mulier sit incuba; aut menstruorum tempore, vel ita partui proxima, ut ipsi moraliter obfuturus sit carnalis congressus; de quibus peccaminosis actibus tractant Moralistæ; Sanchez de Matrim. lib. 8. dist. 1.